

horreum, fossas, hortos pomarios, cellaria, foveas, sepimenta, & similia quae in detrimentum fortalitii, seu Civitatis vergere possent, inter fortalitium videlicet, & montem ac colles, ubi nunc excubiae tenentur; nemini cujusvis status & conditionis homini, liceat erigere aut extruere, neque cuiquam permittatur. Verum horti pro caulibus, ac aliis culinae necessariis, ita tamen ut 200 ulnis a fortalio longis, absint, praevia dimensuratione concedantur, & tales horti, sepimento transparente claudantur. *Et* super haec omnia, pro meliore fortalitii praefati Carlostadiensis in eoque degentium militum incremento, consultum necessariumque visum est: ut singulis annis binae nundinae; unae, in Festo D. Caroli, hoc est 28. die Januarii: alterae vero, 13. die Mensis Julii, hoc est in Festo B. Margarethae (ea siquidem die Civitas ipsa extrui cepta est:) ad diurnam rei memoriam, juxta bonum ordinem, & dispositionem Praefecti, celebrentur, sine tamen nundinarum caeterorum vicinorum locorum praejudicio. Et per totum annum singulis diebus Sabbathi, solitum forum haebdomadale interteneatur. Verum hujusmodi nundinae, & Forum haebdomadale extra Fortalitium, juxta Praefecti demonstrationem, in loco commodo administrari, celebrarique debebunt.

Nos igitur, qui commodis et permansioni fidelium *nostrorum Regnicolarum, praefati Regni nostri Croatiae, & consequenter praefato fortalio Carlostadio*, quod propter illius defensionem exstructum esse dignoscitur, quam optime consultum & provisum esse cupimus; Requisitione & postulatione supradicti Serenissimi Domini Caroli Archiducis, patris nostri Charissimi, facta; benigne accepta & admissa praefatos articulos, super libertatibus, privilegiis, & immunitatibus dictae Civitatis novae Carlostadii, infra Castrum Dubovacz, *in Regno nostro Croatiae*, de novo constructae, editos & emanatos; praesentibusque litteris nostris supra insertos & inscriptos: ac omnia & singula in eisdem contenta, eatenus, quatenus eidem rite & legitime existunt emanati, ratos, gratos, & accepta habentes, pro praenominatis militibus ac incolis, & caeteris inhabitatoribus dicti Fortalitii seu Civitatis, ipsorumque posteris & Successoribus, in praefato Fortalio pro tempore degentibus, perpetuo valituras approbavimus, ratificavimus & confirmavimus, *Salvis semper antiquis legibus, & consuetudinibus Regni nostri Hungariae, & partium ei subjectarum*, permanentibus. Immo approbamus, ratificamus, & confirmamus, harum nostrarum, quibus secretum Sigillum nostrum, *quo ut Rex Hungariae utimur*, est apensum, vigore & testimonio litterarum. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, XXIV. Die Aprilis, Anno Domini 1581. Regnorum nostrorum, Romani sexto: Hungariae & aliorum nono: Bohemiae vero anno similiter sexto.

Nos itaque humillima supplicatione, pro parte praefatorum militum & incolarum universorumque Civium dicti Fortalitii, sive Civitatis novae Carlostadiensis Nostrae, modo quo supra, porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita, clementer & admissa, praelibatas nundinas Festi S. Margarethae, ex eodem Festo, in diem Sabbathi Dominicae, Sanctissimae & Individuae Trinitatis, aliosque idem Sabbathum immediate praecedentes, ad id videlicet aptos et sufficientes dies: Forum item haebdomadale ex die Sabbathi, ad praetactum diem Jovis, transferendum: Unas insuper nundinas pro Festo S. Bartholomaei quovis anno, omnino sub iisdem libertatibus & praerogativis, quibus nundinae liberae seu fora annualia libera, aliarum liberarum Civitatum nostrarum, oppidorum & villarum celebrantur, perpetuo servandas & in eadem Civitate nova Carlostadiensi celebrandas, absque tamen praejudicio nundinarum seu Fororum annualium, liberorum